



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 343. An & quando ob sterilitatem tota pensio remittenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Quaest. 343. An & quando ob sterilitatem tota pensio remittenda?

REsp. in eo casu, quando omnino nulli fructus percipiuntur. De Lugo *num. 41.* cum comm. ex ea ratione, quod, cum pensio solvenda in compensationem fructuum, ubi nulli proveniunt fructus, nihil compensationis seu pensionis sit praestandum. An verò etiam integra pensio sit remittenda, ubi quidem aliquid fructuum percipitur, non tamen æquivalens semini jacto impensis factis, in eo non ita convenire AA. videntur. Affirmare videtur Bartol. in *l. si merces. §. vis major.* eò quod per fructum intelligatur id, quod remanet detracto semine & expensis; adeoque, si his detractis nihil remanet, nulli fructus collecti censentur. Verùm hanc sententiam, ut dictum *quæst. preced.* reprobant Abb. Covar. Molin. de Lugo, argumento desumpto ex *l. conducto. ff. locati.* Dum ibi dicitur: Sed etsi labes facta sit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse, ut supra damnum seminis amissi mercedes prestare cogatur &c. ex quo patet, supponi nullos omnino fructus collectos, alioquin jacturam seminis non fecisset; ita de Lugo, dicens proinde ad omnimodam liberationem à pensione requiri, quod absolute nulli fructus percipiuntur.

Quaest. 344. An & qualiter annorum aliorum ubertate compensetur sterilitas, ita ut locus sit remissioni?

REsp. Sterilitatem presentis anni damnumque, quod inde passus conductor, ita compensari posse per ubertatem aliorum annorum precedentium & sequentium, ut nulla remissio pensionis correspondentis isti anno sterili debeatur aut peti possit, habet communis, quam tenent de Lugo *loc. cit. num. 48.* Pirh. *loc. cit.* Carpz. *p. 2. c. 37. defm. 12.* Stru. *h. t. th. 17.* Muller. *ibid. lit. e.* & constat ex *l. ex conducto. ff. locati. l. 8. C. eod. l. 17. §. 1. ff. de ann. legat. c. propter. h. t.* Atque ita ubertas illa compensativa supponit locationem factam ad plures annos, & esse debet unius anni comprehensi in eodem contractu locationis. De Lugo *loc. cit.* non enim tunc tot sunt locationes, quot anni, sed omnium annorum unicus & individua locatio, etsi plures distinctas praestaciones contineat. Muller. *loc. cit.* cum Fabro in *Cod. l. 4. tit. 41. d. 3. num. 4.* Unde si annus ille fertilis sit alterius locationis proximè finitæ seu præteritæ, vel novæ subsequens, non impedit remissionem pensionis pro præsentis anni sterili. De Lugo *loc. cit.* Quamvis autem, ut Muller. ex Carpz. dicat, quod non nisi finita locatione omnium illorum annorum sit tractandum de remissione pensionis ex ea utique ratione, quod tunc, & non prius comparatis omnibus illis annis inter se stabiliter statui possit de quantitate remissionis faciendæ: nihilominus, si ita simpliciter concepta locatio, ut in singulos annos separatim solvenda pensio, & peti possit ejus remissio, ut teste Carpz. hodie plerumque fit, statim, ac constat se presentis anni sterilitate, faciendæ remissio, non expectato, an sequentium annorum ubertas tanta sit futura, ut sterilitas præcedens eâ compensari possit. De Lugo *loc. cit.* Muller. *loc. cit. lit. ζ.* citato Fabro *ubi ante. d. 35. num. 3.* ita etiam, ut Muller. cum Carpz. *loc. cit. num. 13.* ut contingente ubertate sequentium annorum, remissio illa facta repeti nequeat.

Cujus posterioris contrarium, nimirum, quod pars illa pensionis remissa repeti possit, docent Molin. *loc. cit. num. 9.* Less. *loc. cit. num. 19.* Pirh. *h. t. num. 6.* De Lugo *loc. cit.* ut ajunt, cum communi; & quidem, ut posterior, etsi remissio illa facta sub nomine donationis seu condonationis. Quod si verò locatio facta tantum ad unum annum, & ob sterilitatem illius facta remissio, ubi postmodum tacite fieret relocatio, ubertas sequentium annorum non attenditur, nimirum ad repetendum, quod remissum. Muller. *l. c.* cum Gerdes. *tr. de remiss. pens. c. 2.* idque, quia ista relocatio est locatio distincta à priori. De cætero tunc censetur sterilitas compensari fertilitate annorum precedentium & sequentium (non tantum immediate, sed & interpolatim, ut Barbof. in *collectan. in c. propter. h. t. num. 18.*) si his annis simul collatis tantum commodi perceptorum colonus ultra consuetos fructus, quantum damni anno illo sterilitatis passus, ita ut omnibus collatis inter se, non censetur conductor esse in notabili damno. De Lugo *num. 49.* Less. *loc. cit. num. 20.* Pirh. *loc. cit.* In ordine ad hanc compensationem habenda quoque est ratio omnium rerum in contractu locationis contentarum simul & conjunctim, non verò istius rei solum, in qua conductor passus est damnum, ita ut, si passus sit notabile damnum, nihilque perceptum in frumentis. V. g. multum tamen & solito plus perceperit ex oleis, vineis, feno, molendinis, pecoribus, vectigalibus &c. ut damnum illud compensetur, remissioni locus non sit; cum omnium simul sumptorum sit idem & unicus contractus locationis. Muller. *h. t. th. 16. lit. d.* citatis Cavalcan. *p. 1. decis. 44. num. 33.* & Mevio in *tr. de pensionar. num. 73. & seq.* Teneatur nihilominus & cogi potest talis conductor ad faciendam remissionem suo conductori magnum damnum passum in re particulari. Muller. *loc. cit.* citatis Caval. ubi ante, Boffio, Gerdes &c.

Quaest. 345. Merces operarum conductarum quæ & qualiter solvenda?

1. REsp. primò: Conductores operarum, officialium, famulorum, operariorum teneri regulariter debito tempore iis solvere fideliter & integre mercedem justam conventam, habet communis & certa, & si in horum aliquo defecerint, tenentur ad restitutionem interesse & omnia damna illis exinde secuta, imò & lucrum cessans. Et quidem de tempore quo faciendæ solutio, an nimirum faciendæ sub initium, an ad finem operis, dictum est supra. De reliquo quò ad labores & operas alias finito tempore, pro quo conductæ, ita, ut si post illud in notabili & culpabili mora sit conductor illarum, teneatur, ad restitutionem damnorum, quæ ob dilationem solutionis sequuntur, puta, dum officiales Principum & famuli minorum coguntur credito vivere, & hinc carius necessaria emere, contrahere debita, & ex summis capitalibus solvere interesse, ut habet item communis.

2. Resp. secundo: Quod attinet justitiam mercedis, stipendii, salarii officialium, famulorum aliorumque pro mercede locantium operas suas, ut cognosci valeat, quodammodo justum salarium, attendenda locorum consuetudo & æstimatio communis; id enim, quod in loco communiter fit & æstimatur justum, esse mensuram justii pretii dictum est supra, ubi de venditione. Dein paucitas

&